UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum carnalis copula post verba de futuro consensu[m] exprimentia faciat matrimonium? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Visual Library

ARTIC. II.

Vtrum carnalis copula poſt verba de futuro conſenſum exprimentia, faciat matrimonium?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd carnalis copula poſt verba de futuro conſenſum exprimentia, faciat matrimonium. Quia maius eſt conſentire facto, quàm verbo. Sed ille qui carnaliter commiſcetur, facto conſentit promiſſioni, quam prius fecit. Ergo videtur, quòd multo magis per hoc fiat matrimonium, quam ſi ſolis verbis de præſenti conſenſus fieret. 190

¶ 2 Præterea, Conſenſus non ſolum expreſſus, ſed etiam interpretatiuus facit matrimonium. Sed nulla poteſt eſſe maior interpretatio conſenſus, quàm carnalis copula. Ergo perficitur matrimoniū per hoc.

¶ 3 Præterea, Omnis coniunctio carnalis præter matrimonium facta, eſt peccatum. Sed mulier non videtur peccare admittens ſponſum ad carnalem copulam. Ergo per hoc fit matrimonium.

¶ 4 Preterea,* Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Sed aliquis non poteſt mulieri quam deflorauit ſub ſpecie matrimonij, reſtituere ablatum niſi eam coniugio ducat. Ergo videtur, quòd ſi etiam poſt carnalem copulam cum alia contraxerit per verba de præſenti, teneatur ad primam redire: quod non eſſet niſi inter eos eſſet matrimonium. Ergo carnalis copula poſt conſenſum de futuro, facit matrimonium.

** Aug. ep. 54. & eſt ad Maced. to. 2. & habetur in decret. cauſſa 14. q. 6 c. 1.*

SED contra eſt, quod dicit Nicol. Papa *, Si conſenſus in nuptijs defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur.

¶ Præterea, Quod conſequitur ad aliquid, non facit ipſum. Sed carnalis copula ſequitur ipſum matrimonium ſicut effectus cauſam. Ergo non poteſt facere matrimonium.

RESPONDEO dicendū, quòd de matrimonio poſſumus loqui dupliciter. Vno modo, quantum ad forum conſcientiæ: & ſic in rei veritate carnalis copula

** 27 q. 2. cap ſufficiat. Idē habetur in dec. li. 4. tit. 4. et eſt de ſpōſa duorū c. 5. incipit, Tuas dudum. vide decret. d. 27 q. 2.*

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non habet quòd perficiat matrimonium, cuius ſponſalia præceſſerunt per verba de futuro, ſi conſenſus interior deſit: quia verba etiam de præſenti conſenſum exprimentia, ſi conſenſus mentalis deeſſet,
q præced. ar. 4. non facerent matrimonium, vt ſupra dictum eſt *. Alio modo, quantum ad iudicium Eccleſiæ: & quia in exteriori iudicio ſecundũ ea quæ foris patent, iudicatur, cum nihil poſſit expreſſius ſignificare conſenſum, quam carnalis copula: ideò ſecundum iudi-
in decret. lib 4. tit. 1. c. 30. cium Eccleſiæ *, carnalis copula conſequens ſponſalia, matrimonium facere iudicatur; niſi aliqua ſigna expreſſa doli vel fraudis appareant.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille qui carnaliter commiſcetur, facto conſentit in carnalem copulam, ſecundum rei veritatem: ſed in matrimonium non conſentit ex hoc ipſo, niſi ſecundum interpretationem iuris.

Ad ſecundum dicendum, quòd interpretatio illa non mutat rei veritatem, ſed iudicium quod de rebus exterius fit.

Ad tertium dicendum, quòd ſi ſponſa ſponſum admittat, credens eum velle matrimonium conſummare, excuſatur à peccato, niſi aliqua ſigna expreſſa fraudis appareant: ſicut ſi ſint multum diſtantis conditionis, vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad fortunam, vel aliud ſignum euidens appareat. Sed tamen ſponſus peccat fornicando, & puniendus eſt de fraude quam facit.

Ad quartum dicendum, quòd in tali caſu ſponſus antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in vxorem, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis. Sed ſi aliam duxerit, iam factus eſt impotens ad ſoluendum illud, ad quod tenebatur: & ideò ſufficit ſi ei de nuptijs prouideat: & ad hoc etiam non tenetur (vt quidam dicunt) ſi ſponſus ſit multo melioris conditionis, aut aliquod ſignum fraudis euidens fuerit: quia præſumi probabiliter poteſt, quòd ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN